



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat de Legibus, de Præceptis  
Decalogi, de Restitutione, ac de Contractibus

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Quæstio III. De Subjecto Legum, seu de iis, qui Legibus obligantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40673**

late ad præceptum Prælati præcipientis in virtute Sanctæ Obedientiæ, (ut omissio, verbi gratia, unius Missæ, jejunii, &c.) non semper sit gravis relate ad præceptum Abbatis; quia finis Prælati est spiritualis profectus, ad quem valde conducit una missa, &c., finis Abbatis est bonum regimen domus, ad quod non multum nocet, si uno die omittatur auditio Sacri.

Neque dicas, Moniales emittere votum obedientiæ relate ad Abbatissam; ergo Abbatissa potest præcipere in virtute Sanctæ Obedientiæ, & graviter obligare.

Nam respondent Rodriq., & Sanchez. lib. 6. cap. 1. num. 17., votum obediendi alteri semper intelligi, pro ut moris est obtemperare; unde si fiat Laico, solum ex vi voti habetur obligatio ponendi ea, quæ Laicus præcipere potest; & quia Laicus non potest imponere præcepta spiritualia, seu ordinata ad finem spirituales, hinc non est reus voti, qui transgreditur hujusmodi præceptum latum a Laico: Idem dicas de Abbatissa, cui Moniales vovent obedire juxta potestatem, cujus est capax, quæ est instar potestatis domesticæ.

## Q U Æ S T I O III.

### De Subjecto Legum, seu de iis, qui Legibus obligantur.

**S**ubjectum legis est homo subditus capax rationis, ut communiter Doctores docent. Inquirendum tamen est primo de ipso Legislatore, an teneatur suis legibus obedire? Secundo de Infidelibus, de Pueris, Ebriis, & Amentibus. Tertio de Peregrinis, de Forensibus, de Vagis. Quarto de subditis residentibus extra Territorium. Ultimo de Clericis, an legibus civilibus teneantur?

#### ARTICULUS I.

An Legislator suis legibus teneatur?

- I. Legislator suis legibus obligatur quoad vim directivam, non quoad coactivam.
- II. Obligatur autem Legislator directe non a lege sua, sed a lege naturali dicente, quod Caput cum suis membris conformetur.
- III. Potest autem secummet ex causa dispensare, non secus ac cum subditis.
- IV. Quonam pacto Legislator teneatur legibus contractuum, & iis, quæ taxam mercibus imponunt?

V. Num peccet mortaliter Legislator transgrediendo suas leges in re gravi, an solum venialiter?

VI. Cur venialiter dumtaxat peccent Moniales omittendo unam missam præceptam in virtute Sanctæ obedientiæ ab Abbatissa?

VII. Cur sacrilege peccaret Pontifex, si secummet dispensaret ad ducendam uxorem?

VIII. Legislator transgrediendo leges suas, quamvis peccet, non incurrit tamen penas latas adversus transgressores.

IX. Nec Princeps supremus, nec Legatus Pontificis tenentur legibus municipalibus loci, quæ non sint ab iis confirmata.

i. Du-

I. Dupliciter aliquis obligari potest aliqua lege, Primo, itaut peccet, si illam transgrediatur; & talis obligatio, seu vis legis dicitur Directiva. Secundo, itaut teneatur subire pœnam statutam transgressoribus legis; & talis obligatio, seu vis legis dicitur Coactiva; De utraque inquirendum, an Legislatur teneatur relate ad leges suas.

Quæritur itaque primo, an Legislatur obligetur legibus suis ad culpam, seu secundum vim directivam?

Respondeo cum communi ex D. Th. 1. 2. quæst. 96. art. 5. ad 3. affirmative; quando enim leges respiciunt materiam communem, hoc est accommodatam subditis, Legislatori indecens est, ut tanquam Caput membrum non conformetur; Et reprehendi etiam potest, sicut Pharisei, de quibus dicitur Matth. 5. *Dicunt, & non faciunt, alligant onera gravia, & importabilia, qua tamen nolunt digito suo movere.* Si tamen materia non sit communis, suo Principi etiam accommodata, Princeps nullatenus tenetur servare leges suas: Verbi gratia, si lege vetetur, ne quis noctu arma ferat, aut ne magni sumptus fiant in vestimentis, &c.; hæc enim materia non est accommodata statui Principis. Ita Suar. lib. 3. cap. 35., Sal. disp. 14. sect. 2., Lessi. cap. 35. disp. 5. & alii apud ipsos.

II. Neque dicas primo; Lex obligat tantum subditos, cum sit a Superiore habente jurisdictionem; nemo autem potest esse sibi subditus; ergo non potest obligari Legislatur legibus suis; unde in leg. *Princeps ff. de Legibus*, dicitur: *Princeps legibus solutus est.*

Nam respondent communiter apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 10., Principem non obligari directe ex lege a se lata, sed directe obligari a lege naturali, quod debeat se conformare cum subditis; & ideo indirecte a suis legi-

bus quoad vim directivam obligatur. Hoc tamen intelligendum de Principe, qui solus potest legem condere, non vero de illo, qui simul cum populo leges condit; hic enim tenetur legibus a populo conditis, cum sit subditus Communitati; quamvis possit illam convocare, & habeat primum suffragium; ut est Dux Venetus, & Generalis Religionum respectu legum conditarum in comitiis Generalibus: Necnon ex Vasq. Episcopi respectu legum conditarum a Concilio Provinciali, vel nationali, aut saltem respectu legum a Concilio Tridentino conditarum.

III. Notandum tamen, quod sicut potest Princeps cum subditis dispensare, si detur justa causa; ita potest etiam dispensare secummet, interveniente tamen justa causa, aliter peccaret, ut patet.

IV. Neque dicas secundo, Principem teneri legibus contractuum a se latis, si de facto contrahat; tenetur etiam taxam mercium a se factam sequi; & quidem non solum ex lege naturali obligante Principem, ut se conformet cum subditis suis, sed etiam ex directa obligatione confurgente ex vi contractuum; ergo etiam tenetur directe stare legibus a se conditis.

Nam negatur consequentia; Et disparitas est, quia Princeps, dum celebrat contractum, se habet ut persona privata, non publica. Et ratio ulterior est, quia hoc fert natura ipsius contractus, quod æque obliget utrumque contrahentem; aliter claudicaret. Quare eo prorsus modo, quo subditi obligantur legibus contractus a Principe stabilitis, debet pariter ipse obligari, si vult contrahere cum subditis; Nisi forte ex justa causa vellet in legibus contractus secummet dispensare; in quo casu valide contraheret, nec contractus claudicaret; quia tam ex parte Principis, quam ex parte subditi

contractus esset validus, & sic dispensaret tam secummet, quam cum subdito in iis legibus. Tenetur etiam indirecte servare legem taxam mercibus imponentem, ut tenentur Clerici, idque ex virtute iustitiae, quae obligat vendere pretio iusto, quale est pretium non solum naturale, sed etiam legale; quia pretium iustum est, quod communiter existimatur iustum; quod autem lege taxatum est, communiter existimatur iustum; ergo peccat contra iustitiam Legislator, si vendat ultra pretium sua lege taxatum. Quod usque adeo verum est, ut Sot. apud Bonac. num. 32. putet, peccare contra iustitiam, & teneri ad restitutionem etiam illum, qui sine iusta causa dispensaretur ad vendendas merces ultra taxam pretio iusto naturali; quia lex naturalis iustitiae praecipit, ut res vendatur pretio iusto, & pretium iustum est, quod lege taxatur; quia tunc tanti res aestimatur apud omnes.

V. Dubium est, Utrum Princeps, qui ex lege naturali tenetur servare leges suas, peccet mortaliter eas transgrediendo, quando mortaliter peccant subditi transgressores, an solum venialiter? Verbi gratia, si Pontifex committat Simoniam jure humano inductam, nullam habens iustam causam dispensandi secummet, peccaret mortaliter, ut reliqui subditi, an solum venialiter?

Respondeo, Vasq., Sylvest., Sayr., Suar. apud Dian. loc. citat. putare, quod mortaliter; quia quoties materia praecipit est gravis, tunc obligatio est gravis, nisi Legislator exprimat velle obligare sub levi. Quare enim peccat graviter, qui non audit Missam ab Ecclesia praecipit, aut non jejunit, nisi quia materia est gravis? ergo si quis teneatur lege positiva, si naturali ad materiam gravem, peccat graviter talem legem transgrediendo. Sed probabilius Doctores cum Azor., Sal. disp. 14. sect. 2. Less. loc.

cit., Pal. putant, circumscripto gravi scandalo, peccare tantum venialiter. Ratio est, quia intantum tenetur Legislator servare leges suas sibi, & subditis accommodatas, quia indecens est, caput non conformari membris; sed quod in aliquo casu non conformetur, non est magna deformitas, nec gravis perturbatio in Republica: Sicut non est peccatum grave, sed veniale, secluso scandalo, si sine iusta causa Legislator dispensec cum uno subdito in lege sua; eo quod non sit gravis deformitas, si in aliquo casu unum membrum cum aliis non conformetur, ut communius docent apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 35. Immo Bonac. disp. 1. quaest. 2. punct. 3. cum Cajet., & aliis putat, ne venialiter quidem peccare Legislatorem, si sine causa dispensec secum, aut cum aliquo subdito, praefixo scandalo. Quod tamen non admiserim. Quare gravitas materiae non est attendenda a re praecipitae secundum se sumpta, sed a re praecipitae sumpta secundum finem intentum. Verum quidem est, quod ommissio Missae, vel jejunii sit ommissio materiae secundum se gravis in ordine ad virtutem Religionis; unde peccat graviter, qui missam praecipitam ex motivo Religionis omittit: At si missa praecipitur non ex motivo Religionis, sed ob rectum regimen Republicae, ut caput conformetur cum membris, quae ad missam audiendam tenentur, & ut Superior praecipit suis subditis non verbo tantum, sed etiam exemplo; (ob quod motivum, ut diximus, Legislator tenetur audire Missam, quam praecipit subditis) certe in ordine ad hunc finem ommissio unius Missae est materia levis; unde peccat leviter Legislator unam missam non audiendo, quamvis subditi illam non audiendo peccent graviter.

VI. Hinc supra diximus, quod si Moniales omittant Missam praecipitam ab

ab Abbatisſa in virtute Sanctæ obedi-  
entia, peccent tantum venialiter; quia in ordine ad finem, quem reſpicit præceptum Abbatisſæ, qui eſt recta gubernatio domus, omiſſio unius miſſæ eſt materia levis.

Ex quo ſequitur, ut docent Sal., & Pal. contra Suar., & Bonac., quod non peccet contra eandem virtutem Legislator, & ſubditi, ſi omnes miſſam, verbi gratia, a Legislatore præceptam omitant; Subditi enim peccant contra virtutem Religionis, a præcepto illo poſitivo, a quo directe obligantur, intentam; Legislator vero peccat contra virtutem juſtitia potestativam, intentivam conformitatis Capituli cum membris ſuis intentæ a lege naturali, a qua directe Legislator obligatur. Et ratio a priori eſt, quia Legislator, dum dicitur indirec-  
te obligari legibus ſuis quoad vim directivam, non eſt ullatenus a lege ſua obligatus, ſed lex ipſa eſt conditio requiſita, ut ille obligetur a lege naturali, & ab honeſtate, & decentia, ut ſe ſuis ſubditis conformet; atque adeo non peccat contra virtutem intentam a lege ſua, ſed contra honeſtatem, & decentiam intentam ab hac lege naturali.

VII. Dixi in reſponſione, Legislatorem peccare leviter, ſecluſo ſcandalo; quis enim dubitet, quod ſi vellet, verbi gratia, Pontifex ſimoniam jure humano prohibitam exercere, aut ducere uxorem, peccaret graviter ratione ſcandali? cum ne Græci quidem Sacerdotes poſſint uxorem ducere, quamvis Græci habentes uxorem poſſint ex permiſſione Eccleſiæ ad Ordines Sacros promoveri. Immo cum communior ſententia ferat, Sacerdotem obligari ad caſtitem, non ſolum ex præceptis Eccleſiæ, ſed etiam vi voti ex præcepto Eccleſiæ annexi Ordinibus Sacris, & diſpenſatio in voto facta ſine cauſa a Pontifice ſit

nulla; ideo Pontifex, etiam ſecluſo ſcandalo, ſacrilege peccaret ducendo uxorem.

VIII. Quæritur ſecundo, An Legislator obligetur ſaltem indirec-  
te legibus ſuis quoad pœnam ab eo ſtatutam tranſgreſſoribus, ſeu ſecundum vim coactivam?

Reſpondeo cum communi negative; Nemo enim a ſeipſo cogi poteſt, niſi per contractum, aut votum; in quo caſu etiam ab alio, cui ſe obſtrinxit, obligatur proxime, nempe a Deo, cui vovit, & a contrahente, cui ſe obligavit: Et ratio eſt, quia, ut diximus, tranſgrediens ſine cauſa legem ſuam revera non peccat contra legem ſuam, ſed contra legem naturalem præcipientem ei, ut ſe ſuis ſubditis conformet: ergo non debet incurrere pœnam ſtatutam contra tranſgreſſores legis poſitivæ.

Hinc ſequitur primo, quod ſi Pontifex Clericum injuſte percutiat, non incurrat excommunicationem latam a ſe contra percussores Clericorum; aut ſi officium non recitet, non proinde privetur fructibus beneficiorum; quia talis pœna a Pontifice ipſo eſt ſtatuta.

Sequitur ſecundo, Episcopum non incurrere excommunicationem, ſi ludat aleis contra conſtitutionem a ſe latam ſub pœna excommunicationis. Immo probabiliter nec illam incurrit, qui cum tali Episcopopo ludit; quia præſumitur, quod Episcopopus velit diſpenſare cum eo, quem allicit ad ludendum.

Utrum autem Episcopopus ludens cum eo, qui contraxit excommunicationem a ſe latam, contrahat excommunicationem juris communis latam in cap. *Nuper, de Sententia Excommunicat.* contra participantes in crimine criminoſo? Reſpondendum affirmative, ſi Titius, cum quo ludit, ſit excommunicatus vitandus; quia a lege Pontificis prohibetur Episcopopus, ut ejus com-

commercium vitet; & poenam a Pontifice in jure communitam incurrit, si participet in crimine criminoso, Verbi gratia, si cum eo ludat, posito, quod propter ludum sit excommunicatus. Quod si Titius sit excommunicatus toleratus, ipse quidem non potest cum aliis communicare, sed aliis non est prohibitum commercium cum illo; unde si Episcopus cum eo dispenset, ut possit secum ludere, neuter excommunicationem incurrit, si ludant; Non quidem Titius, quia cum eo dispensat Episcopus; Nec ipse Episcopus, quia non participat in crimine, dum ludit cum eo, qui propter dispensationem nullum crimen committit ludendo.

Sequitur tertio, eum, qui, verbi gratia, habuit a Pontifice potestatem excommunicandi fures, eosque excommunicavit, non incurere excommunicationem, si ipse furetur; quia se habet in tali casu ut Legislatur; nec praesumitur, quod ipse vellet sibi hanc gravem poenam imponere, aut quod Pontifex velit, ut illam sibi etiam imponat, ut notat Bonac. hic num. 28. Nam in mandato generali non venit id, quod expresse mandari non potest: Certum autem est, quod expresse nulli mandari potest, ut se ipsum spiritualiter enecet; sicut nemo tenetur semet prodere ac denunciare.

Hic autem adverte, uxorem Legislatoris, verbi gratia Reginam, etsi legibus Legislatoris subdita sit, eximi tamen ex speciali privilegio in leg. Principem ff. de legibus.

IX. Quæritur tertio, an teneatur Princeps supremus legibus municipalibus Oppidorum?

Respondeo cum communi negative, quia non sunt latae a suo Superiore, sed ab Inferiore. Quod tamen intelligendum est, nisi tales leges sint ab ipso Principe confirmatae; quia tunc

perinde se haberet, ac si ipse eas leges condidisset; Unde fit, Pontificis legatum, dum est in aliquo Episcopatu, non teneri legibus particularibus illius.

## ARTICULUS II.

Quibus legibus eximantur Infideles, Pueri legem ignorantes, Ebrii, & Amentes?

- I. Num infideles peccent non solum contra præceptum Divinum de suscipiendo Baptismo, sed etiam contra præceptum de sumenda Eucharistia?
- II. Num peccet, qui diebus prohibitis ministrat carnes infidelibus, qui legibus Ecclesiasticis non tenentur; aut qui injungit illis opera servilia die festo?
- III. Nullis legibus tenentur Pueri, & Amentes, qui nunquam ratione usi sunt; At qui post usum rationis inciderunt in amentiam, verius per accidens ab observantia legum excusantur, non secus ac Ebrii; unde non possumus cum istis ad materialem legum transgressionem concurrere.
- IV. Num Amentibus injungi possint opera servilia die festo? Et num possint die festo auci bellua onusta?
- V. Pueri post usum rationis tenentur legibus etiam Ecclesiasticis; Sed ad communionem Paschalem circa decimum annum obligantur, quando solent sacrum a profano discernere.
- VI. Ante pubertatem num incurant Pueri censuras, & alias poenas Ecclesiasticas? Num casuum reservationem?
- VII. Num Infantes, & Puella admitti possint in Monasteria Monialium, & Religiosorum? Quid de Amentibus?

I. Quæ-

I. **Q**uæritur primo, an Infideles subdantur legibus Ecclesiasticis?

Respondeo cum communi negative; Quod constat ex illo Apost. 2. ad Corinth. 4. *Quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare?* Unde diximus, nullam pœnam Ecclesiasticam, verbi gratia, censuram, aut irregularitatem ex delicto incurri ab Infidelibus; cum non peccent per hoc, quod leges Ecclesiasticas transgrediantur. Tenentur tamen legibus naturalibus, & Divinis; Et quia sumptio Eucharistiæ in articulo mortis præcipitur omnibus jure Divino, idcirco probabilis etiam contra præceptum sumendi Eucharistiæ peccant, dum morientes non suscipiunt Baptismum requisitum ad sumptionem Eucharistiæ, ut docent communiter contra nonnullos, qui putant Eucharistiæ præcipi solis baptizatis; atque adeo sicut non peccat contra votum castitatis, nec est sacrilegus, qui habens votum ingrediendi Religionem peccat contra castitatem, eo quod nondum emisit votum castitatis, ita non peccat contra præceptum sumendi Eucharistiæ, qui nondum est baptizatus, quamvis peccet non suscipiendo Baptismum.

II. Ex dictis videtur sequi, quod sicut non peccant Infideles comedendo carnes diebus prohibitis, ita nec peccant, qui carnes illis ministrant; cum non cooperentur ad transgressionem legis Ecclesiæ: Et sicut non peccant laborando diebus festis, ita nec peccat dominus, qui injungit suis mancipiis, ut die festo laborent; ut concedit Dian. part. 5. tract. 14. resol. 7.: Sicut concedit Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 9., quod possit id injungi perpetuo amentibus, etiam catholicis, qui, non secus ac pueri, nullis legibus tenentur ex defectu usus rationis, ut mox dicemus: Quamvis utrumque etiam probabiliter neget Fernand. a-

puud eundem Dian. cum Tambur. putante, non sanctificari festum humano more a Christifideli, qui etsi ipse non laboret, præcipit tamen aliis ratione utentibus, licet Infidelibus, ut laborent. Qua de re mox iterum redibit sermo.

III. Quæritur secundo, An pueri, amentes, ebrii, dormientes, legem ignorantes, semifatui teneantur legibus naturalibus, & positivis?

Respondeo, pueros, qui nondum ad usum rationis pervenerunt, & perpetuo amentes (qui communiter cum Merol. part. 3. dub. 28. contra Sanch., & Suar. pueris comparantur) nullis legibus obligari. Ratio ex D. Th. quæst. 17. de Veritate art. 3. est, quia lex est vinculum rationale, quod, ut liget, debet applicari subiecto per rationem, & per conscientiam, qui est actus, seu dictamen rationis: Quare sicut vincula corporalia non ligant, nisi per contactum corporeum applicentur, ita leges non obligant, nisi per rationem, & conscientiam applicentur; atque adeo pueri, & perpetuo amentes nullis legibus obligantur. Contra vero amentes, qui aliquando habuerunt usum rationis, ebrii, dormientes, & legem ignorantes obligantur legibus omnibus, quamvis per accidens hic, & nunc excusentur; quandoquidem carent hic, & nunc libertate requisita ad bonum, & malum. Unde fit, quod amentibus, qui nunquam habuerunt usum rationis, Eucharistia non possit in articulo mortis ministrari; debeat vero ministrari iis, qui aliquando usum rationis habuerunt; quia istis, non vero illis præcipitur jure Divino: Nec possunt suscipere Eucharistiæ adulti, qui ne habitualement quidem intentionem habent illam suscipiendi; Sicut nec potest perpetuo amentibus dari Extrema unctio, quæ debet supponere reliquias peccatorum tollendas; non

non secus ac poenitentia debet supponere peccatum. Demum semifatui, qui in aliqua materia nunquam habuerunt usum rationis, non obligantur legibus spectantibus ad illam materiam; obligantur tamen relate ad leges, ad quas habent, vel habuerunt aliquando rationis usum, propter eandem rationem.

Non negaverim tamen, probabilem esse sententiam Sanch. lib. 1. cap. 10., quod etiam perpetuo amentes obligentur legibus, quamvis per accidens ratione amentiae excusentur, ut ebrii: Et ratio est, quia intantum infantes non sunt obligati, in quantum per se carent usu rationis; at amentes carent usu rationis per accidens, sicut ebrii; ergo non æquiparantur pueris, itaut non obligentur, sed ebriis, itaut obligentur, & excusentur: Sicut enim catulus ante nonum diem non dicitur cæcus, sed non videns, quia per se tunc est incapax visus; contra vero post nonum diem dicitur cæcus, quamvis nunquam viderit, quia post nonum diem est capax visus; ita perpetuo amentes ante septennium non sunt obligati legibus, quia nec habent, nec sunt capaces usus rationis; contra tamen post septennium obligantur, & excusantur; quia pro illo tempore sunt capaces usus rationis. Nec quaestio hæc est inutilis; Deservit enim ad decernendum, num possimus cooperari cum illis ad transgressionem materialem legum. Nam quia, verbi gratia, ebrii, & ignorantes legem jejunii obligantur hac lege, & excusantur a transgressione ratione ebrietatis, vel ignorantiae; ideo peccat, qui die veneris ministrat ebriis carnes ad manducandum, cum non possimus nos cooperari cum illis ad transgressionem materialem legum, quibus illi obligantur, licet hic, & nunc excusentur; Contra vero, quia Infideles non tenentur

legibus Ecclesiasticis, non peccat, qui inducit illos ad comedendum carnes die veneris: Hinc quia probabilis est sententia communior, quod perpetuo amentes nullis legibus teneantur, probabile erit, quod non peccet, qui illos ad transgressionem materialem legum inducit. Ex quo tamen non sequitur, quod possint induci ad blasphemandum, ad fornicandum, &c., cum nec possint pueri ad blasphemandum induci: Et ratio est, vel quia, ut notat Pal. hic, probabiliter etiam pueri legibus naturalibus obligantur, eo quod istarum obligatio ab ipsa natura ortum habeat, quæ de se capax rationis est; Vel quia inducere pueros, aut amentes ad blasphemandum, aut fornicandum, importat per se in inducente affectum ad hæc vitia illicitum; nec caret scandalo, non secus ac si induceretur psittacus ad blasphemandum: Vel demum, quia si inducuntur pueri, & amentes ad blasphemandum, &c., quando rationis erunt compotes, erunt ad ea vitia proclives; unde nobis illicitum est illos ad ea vitia inducere.

Notandum hic, quod omnibus amentibus, etiam semifatuis, tum ex consuetudine introducta, teste Azor., tum ne in deteriorem statum amentiae decendant, ministrari possunt carnes tempore vetito, ut docent peritissimi Medici apud Sanch. Præterea nec amentes, nec ebrii cogendi sunt ad audiendum Sacrum die festo; immo possunt impediri, ne audiant; Et ratio est, quia non possunt assistere Missæ humano, & rationali modo, prout requiritur: Qui tamen sunt semifatui, nisi in iis, quæ ad missam pertinent, desipiant, tenentur missam audire, cum possint illam audire humano modo.

IV. An autem possint perpetuo amentibus injungi opera servilia die festo, sicut possunt ex multorum senten-



rentia injungi Infidelibus? Dubium est, quod promissit se disciturum Sanch. in tertio Decalogi præcepto; illud tamen morte præventus non edidit in lucem. Tambur. lib. 4. cap. 3. re cum Theologis discussa, putat licere cum Dian. part. 5. tract. 14. resol. 7. & Laym. contra Fernand., & Merol., qui putant non licere, eo quod laborarent ut instrumentum mandantis, & mandans ipse censeretur laborare; Ratio autem pro sententia Tambur., & Laym. est, Vel quia juxta probabilem sententiam perpetuo amentes nullis legibus tenentur, & ideo possunt iis injungi opera servilia; sicut probabiliter possunt injungi Infidelibus, qui non tenentur legibus Ecclesiasticis: Vel si sequamur opinionem Sanch., quod sicut ebrii, ita perpetuo amentes obligentur legibus omnibus, & per accidens excusentur, adhuc possunt injungi utrisque opera servilia; quia, ut notat Laym., opera servilia prohibentur dumtaxat iis, qui humano modo, & utiliter possunt tale præceptum implere; non secus ac præcipitur assistentia Sacro: Quare sicut amentes, & ebrii non sunt cogendi ad Missam audiendam, quia non possunt tale præceptum, prout requiritur, implere; ita propter eandem rationem possunt iisdem opera servilia injungi; Non secus ac belluis, quæ possunt die festo molere, & onera vehere, dummodo qui illa ducunt, non multum laborent, ut docet Dian. part. 2. tract. 15. resol. 36. cum Tambur. loc. cit. contra Suar., & Laym., putantes esse opus servile agere currus, vel mulos onustos; unde non liceat illud inchoare die festo, quamvis inchoatum possit continuari, si non possit facile interrumpi.

V. Quæritur tertio, Quandonam pueri incipiant obligari legibus Ecclesiasticis?

Respondeo, D. Antoninum, Cord.,  
Pars I.

& Victor. apud Sal. disp. 14. sect. 13. putare, quod non teneantur ad confitendum semel in anno, nisi sint pubertati proximi, idest anno decimo cum dimidio, si sint mares, & anno nono cum dimidio, si sint feminae; quod forte verum est pro foro externo; quia secundum jura nemo præsumitur esse doli capax, nisi sit proximus pubertati, seu in ætate dicta. Sot., & Sa apud Sanch. lib. 1. cap. 12., & Pal., putant non teneri ad annuam confessionem, & ad observantiam cujuscunque præcepti Ecclesiastici, antequam perveniant ad annum duodecimum: Sed communiter docent, pueros teneri non solum legibus Divinis, & naturalibus, (quod est certum) sed etiam Ecclesiasticis, statim ac perveniunt ad usum rationis, quod circa septennium solet contingere. Ratio est, quia cum polleant usu rationis, & teneantur legibus Divinis, non est cur non etiam teneantur legibus Ecclesiasticis: Præsertim quia in cap. *Omnis utriusque sexus* aperte præcipitur confessio annua pueris, postquam ad annos discretionis pervenerint. In dubio tamen, an usus rationis advenit ante septennium completum, non obligantur; secus vero post septennium; quia cum soleat eo tempore advenire, præsumitur, quod advenit; unde post septennium (quoties non constat usum rationis nondum advenisse) tenentur pueri ad missam audiendam, ad abstinentiam a cibis vetitis, ad confessionem annuam; non tamen ad annuam communionem, quia quamvis in cap. *Omnis utriusque sexus* dicatur, quod omnes tam ad confessionem, quam ad communionem annuam teneantur, statim ac ad annos discretionis pervenerint, tamen ex contextu habetur, ut omnes Doctores docent contra Palud., Valent., Pal., diversimode requiri annos discretionis ad

G COR.

confessionem, ac ad communionem; nam ad confessionem annuam satis est usus rationis; (dummodo tamen, ut alias diximus, puer peccaverit mortaliter, qui enim non est conscius sibi peccati mortalis, non tenetur confiteri) ad communionem vero annuam non solum requiritur, ut pueri sciant discernere bonum a malo, sed etiam Sacrum a profano, ad hoc ut possint reverenter tale Sacramentum suscipere, & percipere ejus gustum; quod solet circa decimum annum contingere: Et constat ex consuetudine Ecclesiae, quae non statim admittit pueros ad communionem, postquam admisit ad confessionem. Si tamen contingat articulus mortis, potest ante decimum annum ministrari puero Eucharistia, dando illi sufficientem instructionem; nam ratione necessitatis non est exigenda tunc tanta devotio; Et post Eucharistiam tradenda est Extrema unctio, quae procul dubio ex communiori sententia ministrari potest huic puero, statim ac est doli capax, etiamsi ad Eucharistiam non sit aptus.

Norat tamen Joan. Sanch. apud Pal. si constaret aliquando, puerum ante septennium esse doli capacem, in tali casu non obligari ante septennium legibus juris positivi, quia leges positiva attendunt, quod communiter contingit, ex leg. *Nam ad ea ff. de legibus*; communiter autem non contingit usus rationis ante septennium; & ideo pueri ante eam aetatem probabiliter non obligantur iis legibus; quamvis ad annuam confessionem ex dictis tenerentur.

VI. Queritur quarto, Quandonam pueri incipiant subiacere poenis Ecclesiasticis?

Respondeo, Sa, Fagund., & alios apud Tambur. in Meth. Commun. cap. 4 §. 2. putare, decisum jam esse in cap. 1., & 2. de *Delictis puerorum*,

quod pueri ante pubertatem nullam poenam Ecclesiasticam incurrant latam a jure, vel ab homine. Immo Tambur. putat, quod neque incurrant excommunicationem latam contra percussores Clericorum; nam licet in cap. *Pueris*, de *sententia Excommuni.* dicatur, quod possit Episcopus absolvere pueros percutientes Clericum, hinc non sequitur, quod excommunicationem contraxerint, & quod ab alio non possint absolvi. Sanch. vero lib. 1. cap. 12. cum Vasq., Azor., docet, quod ex cit. cap. 1. de *delictis puerorum* solum habeatur, pueros ante pubertatem non incurrere censuras latas ab homine, non vero latas a jure; ibi enim haec habentur, ut notat Fagund. part. 2. lib. 1. cap. 4. *In pueris relinquitur solet inultum, quod in aliis progressivis aetatis humanae leges dicunt se verius puniendum*. Ceterum quod incurrant censuras latas a jure, deducitur ex cap. *Super eo*, ex cap. *Pueris*, ex cap. *Quamvis*, de *Sententia Excommuni.*: Et disparitas ex Suar. est, quia aetas impuberum non censetur apta ad ordinem judicarium intelligendum, ut requiritur ad incurrendam censuram latam ab homine; deberent enim posse citari, ac in judicio se defendere. Sed Pal. hanc sententiam impugnans dicens, quod saltem deberent posse incurrere censuras latas ab homine generaliter, ad quas incurrendas non requiritur cognitio ordinis judicialis. Quare dicendum, nullam omnino censuram, aut similem poenam incurrere a pueris; Verbi gratia, non incurrere irregularitatem, si alios occidant, nec excommunicationem latam ab Episcopo, si non communicent in Paschate; idque erui ex citatis textibus. Immo quamvis possint pro iis reservari casus, non solent tamen pro iis Episcopi casus reservare. Non negamus, quod possit Pontifex illos punire Ecclesiasticis poenis, sed solum dicimus, quod

quod jure communi nullam censuram, aut aliam pœnam incurrant, & ad summum, ut notat Pal., incurrunt censuram latam contra percussorem Clerici, propter ejus gravitatem; quia id videtur erui ex citatis textibus (quicquid sit de censura lata contra ingredienti Monasteria Monialium) Nec responsio Tambur. videtur difficultatem evacuare; cum enim dicat Textus, quod Episcopi possint absolvere pueros percutientes Clericum, videtur innuere, quod excommunicationem contraxerint, & quod pro ea ætate non sit reservata Papæ, sed Episcopo.

Hinc tamen non sequitur, quod posito interdictione generali in aliquo loco pueri impuberes non comprehendantur; Nam comprehenduntur pueri doli capaces ratione præcepti iis impositi, non vero ratione ullius pœnæ, quam contrahant, si præceptum hoc transgrediuntur, ut notat Suar., Sanch., & Azor.: Pueri ante septennium certe interdictione non comprehenduntur; unde possunt etiam admitti ad assistendum Divinis, quia per interdictionem solum prohibetur assistentia moralis Officiis Divinis, quæ tantum a ratione utentibus præstari potest: Et idem dicitur de amentibus, & ebriis, rationis usu omnino destitutis, ut notat Merol. disp. 4. cap. 3. dub. 28. At tempore interdictionis localis neque pueri, neque amentes, aut ebrii possunt in loco Sacro sepeliri; quia cum locus sit interdictus, prohibetur omnibus, ne dent ulli, etiam puero, Ecclesiasticam sepulturam in eo loco interdictione.

VII. Quæritur quinto, An pueri, & puellæ ante usum rationis possint ingredi, aut admitti intra Monasteria Monialium, aut Religiosorum? Et idem quæritur de amentibus.

Respondeo, Ugolin., Comitol. lib. 6. quæst. 22. putare, quod non pos-

sint admitti; cum Trident. sess. 24. cap. 5. prohibeat, ne ullus admittatur: Quare sicut tempore interdictionis localis non possunt pueri sepeliri in loco sacro, quia præceptum non cadit supra pueros, sed supra alios, ne sepeliant pueros; ita non possunt pueri admitti in Monasteria Monialium, nec puellæ in clausuram Religiosorum, quia præceptum non cadit supra pueros, sed supra alios, ne admittant. Verum communior opinio cum Merol., Sanch. lib. 6. c. 16, Suar. tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 10. probabiliter putat, admitti posse, quia admissio in Monasteria est prohibita respectu illorum, quibus prohibetur ingressus, ut constat ex motu proprio Gregorii XIII., ergo cum non prohibeatur ingressus infantibus, nec prohibetur aliis eorum admissio.

Neque obstat, quod Trident. prohibeat, ne ullus admittatur cujuscumque ætatis, & sexus, quia intelligi debet de ætate, quæ sit capax obligationis præcepti; quod constat tum ex motu proprio Gregorii XIII., tum etiam quia Trident. habet pro fine, ne pax Monialium perturbetur, ac ne ad peccandum incitentur; Unde videtur, quod possint admitti infantes: In Synodo tamen Neapolitana anni 1694. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibetur, ne hujusmodi infantes in Monasteria Monialium introducantur, etiam si non extrahantur a Rota, sed in ipsa permaneant ex parte clausuræ.

Quod attinet ad amentes, introduci nullatenus possunt; tum quia ad peccatum incitare possunt; tum etiam quia probabiliter, juxta sententiam Sanch., illi etiam, ut ebrii, legibus humanis comprehenduntur, quamvis ratione amentie, & ebrietatis a culpa excusentur. Unde qui amentes admitteret, quamvis non contraheret excommunicationem stando in decreto

Trident. , quia Trident. excommunicat solum ingredientes , non admittentes ; at contraheret excommunicationem latam a Gregor. XIII. etiam contra admittentes alios in Monasteria Monialium : Et contra Religiosos admittentes mulieres in sua Monasteria statuit poenam privationis officiorum , Dignitatum , Beneficiorum , & inhabilitatis ad illa , &c.

Notat tamen Merol. , quod si sequamur opinionem communem , quod perpetuo amentes non obligentur legibus saltem humanis , quamvis peccet mortaliter , qui eos introducit in Monasteria Monialium , quia finis legis , & ratio legis non admittendi alios , ne perturbetur pax , & ne deatur occasio peccandi , aequae militat pro amentibus ; at probabiliter non incurrit excommunicationem , quia etsi juxta communioem opinionem lex poenalis extendatur quoad obligationem de casu expresso ad casum non comprehensum verbis legis , quoties eadem ratio expressa in lege militat pro tali casu ; at non extenditur quoad poenam , ut fuse ostendit idem Merol. disp. 4. cap. 9. dub. 6.

### ARTICULUS III.

Quibus legibus teneantur Peregrini ; Forenses , & Vagi ?

- I. In quo differant Peregrini a forensibus , & a Vagis ? Et quomodo domicilium , aut quasi domicilium acquiratur , aut deperdatur ?
- II. Sufficit quasi domicilium ad Sacramenta alibi suscipienda , prater Ordinem , ad quem suscipiendum requiritur domicilium .
- III. Forensis Neapolim adveniens animo ibi permanendi per decennium tenetur legibus loci , tanquam civis , & incola . Immo etiam si adveniat animo permanendi per majorem partem anni .

IV. Tenentur etiam forenses ; & Peregrini legibus juris communis , quamvis in propria Patria per desuetudinem non obligent .

V. Pariiter tenentur Peregrini legibus Municipalibus loci , per quem transiunt , si eadem sint in propria Patria ; Necnon legibus contractuum ; Ac etiam legibus , quarum transgressio specialiter cedit in ejus loci detrimentum .

VI. Probabilius videtur , quod universim Peregrini non teneantur legibus loci , per quem transiunt , si brevis ibi commorentur , & scandalum absit .

VII. Et probabilius nec tenentur legibus Patria , si non sint utrobique communes .

VIII. Num possit quis eo fine iter arripere , ut effugiat obligationem alicujus jejunii ? Fugere a loco , ubi lex jejunii obligat , non est idem , ac apponere impedimentum jejunio precepto .

IX. Habens casus reservatos num possit adire Diocesim , ubi casus non est reservatus , ut ibi absolvat ?

X. Si in aliqua Civitate sit dies festus , poterit ne idem civis mane exire , & sic ab auditione Sacri deobligari ?

XI. An discessurus a Patria , ubi obligat lex jejunii , possit mane jenaculum sumere , ac pluries comedere ? Et an etiam qui perveniens est vespere ad locum , ubi jejunatur ?

XII. Num , & quando Sacerdos Graecus transiens per Ecclesiam Latinam possit in azymo consecrare ; & similiter Latinus in fermentato ?

XIII. Num possit Peregrinus a suo Superiore puniri propter delictum patratum extra Territorium Superioris ?

XIV. Non est eadem ratio de subdito delinquente extra Territorium sui Superioris .

perioris, ac de delinquente in locis  
exemptis.

XV. Vagi tenentur legibus loci, ubi de-  
gunt.

I. IN eo differunt Vagi a Peregrinis, & forensibus, quod Vagi sint, qui nullibi certam sedem habent; quamvis enim habuerint alicubi domicilium, quia tamen inde exierunt animo non redeundi, dicuntur Vagi, quousque in aliquo loco domicilium figant. Peregrini vero dicuntur, qui discedunt a loco sui domicilii animo redeundi; nam si discedant animo figendi alibi suum domicilium, jam in eo loco, ubi novum domicilium figunt, se habent ut cives, & incolæ, non ut peregrini, forenses, & advenæ. Cæterum peregrini proprie dicuntur, qui alibi domicilium habentes, per aliquem locum transeunt. Forenses vero, & advenæ dicuntur quicumque domicilium alibi habentes, in alieno Oppido habitant. Præterea Peregrinus, qui Neapolim, verbi gratia, venit animo manendi in hac Civitate perpetuo, dicitur acquirere domicilium, ex leg. *Domicilium ff. ad Municipalem*, nec requiritur decennii habitatio, nisi ad præsumendum animum manendi perpetuo, ut notat Sanch.: Semel autem domicilio constituto, ut deperdat, requiritur, quod mutetur non solum animus, sed etiam ipsa habitatio; quia per eas causas res dissolvitur, per quas nascitur, ex cap. 1. *De regul. juris*; Contra vero peregrinus, qui Neapolim venit animo manendi pro majori parte anni, non in perpetuum, (ut sunt studentes, mercatores, locantes operam ad longum tempus) non dicitur acquirere domicilium, sed quasi domicilium, ratione cujus quasi domicilii possunt ibi conveniri, juxta leg. *Heres absens ff. de Judicis*.

II. Quinimmo ratione hujus quasi domicilii, ut notat Sal., Bonac., &

alii, dicitur acquirere domicilium Parochiale, atque adeo subjectionem quoad Sacramenta, (præter Ordinem) quoad sepulturam, quoad votorum dispensationem, & quoad omnia, prout postulat bonum regimen animarum, ut patet ex consuetudine: Proinde potest ibi recipere omnia Sacramenta, (dempto Ordine, & tonsura requirente domicilium, ex cap. *Cum Nullus, de Temporibus Ordinar. in 6.*) & est ibi sepeliendus, nisi alibi sepulturam eligat. His explicatis

III. Certum est primo, quod forensis adveniens, verbi gratia, Neapolim, animo manendi perpetuo, statim teneatur legibus hujus Civitatis; nam per hoc quod acquirat domicilium, se habet ut civis, & incola. Quod si in duobus locis simul domicilium habeat, quia scilicet hyeme, verbi gratia, habitat in uno loco, & æstate in altero, tunc tenebitur legibus loci, in quo præsens adfuerit.

Certum etiam videtur secundo, quod eodem modo teneatur legibus hujus Civitatis forensis, qui Neapolim accedit animo permanendi pro majori parte anni, seu animo expediendi negotium, quod regulariter solet exigere majorem anni partem: Licet enim non acquirat domicilium, sed quasi domicilium, tamen per assiduam hanc habitationem prudentium judicio censetur incola, & pars Communitatis; unde sicut acquirat Parochiam, seu domicilium Parochiale, & subjectionem quoad omnia Sacramenta, (dempto Ordine) quoad sepulturam, & quoad omnia, quæ vertunt ad bonum regimen animarum, ita subditur legibus talis Diœcesis; quod communiter docent. Quamvis non desint Doctores relati a Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 18. requirentes in forensi domicilium, seu animum perpetuo manendi, ut teneatur legibus, & consuetudinibus loci, Ubi etiam notan-

notandum, quod, ut deperdatur hoc quasi domicilium, non satis sit mutare animum permanendi, nisi etiam recedatur ab eo loco, & habitatio mutetur, ut diximus de amissione domicilii.

IV. Certum est tertio, omnem forensem, ac peregrinum in loco, per quem transit, seu in quo non vult pro majori parte anni manere, teneri ad servandas leges juris communis, quamvis illae in propria Patria, seu in loco domicilii per consuetudinem non obligent. Ratio est ex Suarez, quia peregrinus hic revera subditur Legislatori; nec excusatur in loco, per quem transit, a contraria consuetudine, quippe quae solum excusatur in Patria, ubi ea viget. Unde sequitur, quod Castellanus transiens Neapolim non potest hic vesci die Sabbati intestinis animalium, sicut vescabatur in Castello ex consuetudine ibi introducta; Et Mediolanensis tenetur Neapoli primis quatuor diebus Quadragesimae jejunare; quia consuetudo in contrarium excusatur illos, qui sunt Mediolani, ubi viget: Ita communiter: Et quamvis aliqui cum Azor., Ledesm., Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 18. num. 7. sentiant oppositum, si absit scandalum, & brevi redituri sint ad Patriam, eo quod non videatur abesse, qui brevi est rediturus; (sicut Episcopus, seu Curatus non censetur a sua Residentia abesse ex Trident. sess. 23. cap. 1., si ad illam intra duos menses est reversurus) At communiter id negant; & ipse Sanch. cap. 12. sententiam hanc retractavit; quia quae sunt contra jus commune, sunt odiosa, & sunt restringenda; Unde consuetudo contra jus commune non deobligat peregrinos absentes a Patria, ubi solum est ea consuetudo, quanvis per breve tempus absint. Verum est, quod in aliquibus casibus absentia fi-

sione juris reputatur praesentia, ut in Tridentino reputatur residere Episcopus, qui intra duos menses reversurus est, ut diximus; Verum in juris fictione non datur extensio de casu ad casum, ut communiter Doctores docent, ex cap. *In praesentia, de Probat.* Quare sicut peregrini deobligantur a legibus Patriae, etiamsi per breve tempus absint; ita obligantur legibus juris communis, si per breve tempus absint a Patria, ubi contraria consuetudo excusatur.

V. Certum est quarto, quod quando leges municipales eadem sunt in loco transitus, & in Patria, tunc peregrinus teneatur eas servare in loco, per quem transit; ut communissime Doctores docent apud Thomam Sanchez contra Joannem Sanchez, cuius sententia reputatur absurda: Et ratio est, quia hic est usus, & consuetudo quasi communi jure gentium introducta; etenim aequitas sic videtur postulare.

Certum est quinto, leges proprias loci, per quem aliquis transit, si pertineant ad solemnitatem contractuum, servari debere etiam ab advenis, & peregrinis, ut constat ex leg. *Si fundus ff. De Evictione*; aliter contractus essent irriti; quia contractus formam praescriptam a jure. Quare tenentur ad gabellas, si forte solvantur ex contractu; tenentur pariter vendere res pretio ibi taxato; Si condant testamentum, tenentur adhibere solemnitates ibi statutas; Ad validitatem Matrimonii requiritur Parochi, & testium praesentia, si ibi obliget Trident., etiamsi in sua Patria non obliget; Et omnes lites judicari debent juxta ritus illius loci, & a Judice loci, ubi res est litigiosa, ut notat Glos. in cap. *De foro competentis*: Excepto solum contractu dotis; in eo enim non debet inspicere locus contractus, sed locus, ubi vir habet do-

domicilium, ex leg. *Exigere ff. De Judiciis*; quia uterque videtur omnia destinasse ad eum locum, ubi vir debet cum sua uxore permanere. Quamvis Pal. hic putet, ne contractum quidem ipsum dotis excipi, eo quod in citato textu solum dicatur, quod dos, si repetenda est, repetatur, ubi vir habet domicilium.

Certum est sexto, servandas etiam a peregrinis leges loci, per quem transeunt, si earum transgressio specialiter cedat in damnum ejus loci. Ratio est, quia ipsum jus naturæ dicitur non esse impediendum bonum commune loci, neque a civibus subditis, neque ab advenis non subditis. Unde fit, servandas esse a peregrinis primo leges prohibentes, ne aliqua merces ex Oppido extrahantur; Secundo legem prohibentem, ne peregrini ultra tot dies in Oppido commorentur, aut aliud præcipientem peregrinis ad vitandum aliquod damnum; aliter populus defendi non posset per leges contra quoscunque; Tertio servandam esse legem omnem, quæ sine scandalo violari non potest; cum obligatio vitandi scandalum sit naturalis, & ab omnibus servari debeat.

VI. Quæritur nunc primo, An forenses, & peregrini teneantur servare leges loci, per quem transeunt, seu in quo morantur solum ad breve tempus, & sine animo residendi pro majori parte anni?

Respondeo, Suar., Sal., Merol., Pal., Lessl., & alios apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 15. putare, probabilius esse, quod teneantur; præsertim si ibi sint permanenter per aliquot dies: Primo, quia hoc videtur consentaneum paci, & rectæ gubernationi Reipublicæ, ut omnes uniformiter obligentur. Secundo, quia si leges, quæ habentur in loco transitus, habentur etiam in Patria, peregrinus

iis tenetur, ut communiter docent: (quia non est æquum, quod peregrinus utramque legem violet) At qui hoc etiam probat, quod si peregrinus non tenetur legibus Patriæ, debeat servare leges loci, per quem transit, ne utrisque legibus eximatur: ergo. Tertio, quia cum peregrini teneantur legibus loci transitus, quando istæ feruntur ob bonum commune, jam omnibus legibus tenentur, cum omnes respiciant bonum commune. Quarto, quia est commune dictum apud Gloss. in cap. *Illa, dist. 102. Cum fueris Romæ, Romano vivito more, cum fueris alibi, vivito sicut ibi*. Quinto, quia puniuntur ab Episcopo transgressores, præsertim si per duos, vel tres mentes ibi manserint. Demum, quia & rudes, & docti passim putant se teneri ad eas leges servandas, verbi gratia, ad jejunia, & festa locorum; consuetudo autem ex tali opinione inducit obligationem; præsertim cum fiat de consensu Principis punientis transgressores.

Equidem tamen probabiliorem existimo sententiam Sanch. lib. 3. disp. 18., Lessl. cap. 2. disp. 7., Azor., Bonnac., quod non teneantur. Ratio est, quia brevis mora non est sufficiens ad tribuendam jurisdictionem Superiori; ergo neque peregrinis, & forensibus subjectionem, & obligationem.

Neque dicas, quod si peregrinus subditur Legislatori relate ad leges contractuum, & relate ad leges, quarum transgressio cedit in damnum ejus loci, & relate ad leges, quæ obligant etiam in Patria; ergo eodem modo fiet subditus relate ad omnes leges. Nam in iis legibus est specialis ratio, quam jam adduximus in prænotatis: Quod autem universim brevis mora non satis fit ad contrahendam subjectionem, patet; quia ex defectu subjectionis requisitæ peregrinus

nus non acquirit Paræciam in loco transitus, seu obligationem suscipiendi ibi Sacramenta; nec Episcopus potest cum illo dispensare in votis; neque illi Sacramenta conferre, (exceptis Pœnitentia, & Eucharistia, pro quibus præsumitur tacitus consensus proprii Episcopi, vel Pærochi,) ut communiter docent contra Basilium de Leon. lib. 5. cap. 13. Præterea viator non sortitur forum loci, per quem transit, ex leg. *Heres ff. de Judiciis*, seu non potest ibi conveniri, aut puniri; quia qui transit, aut brevi tempore alicubi commoratur, non censetur moraliter esse ibi, ex leg. *Quæstum ff. de Legatis*: ergo peregrini non obligantur legibus loci, quibus obligantur cives, qui ibi stabiliter existunt: Præsertim quia nemo fit alteri subditus, itaut conveniri possit, aut puniri, nisi ratione originis, domicili, vel quasi domicili, & delicti, ut probat Farinac. lib. 1. praxi quæst. 7. ergo nec legibus ligari.

Unde sequitur, peregrinos non teneri servare consuetudines, & leges loci, per quem transeunt, si ibi, verbi gratia, celebretur aliquod festum, aut indictum sit aliquod jejuniû; & si prædictas leges non adimpleant, non ligabuntur censuris impositis contra violatores illarum, sive censuræ latæ sint per leges, & statuta, quæ respiciunt territorium, sive per sententiam, & præceptum hominis, quamvis generale, quod respiciat personas. Ratio est, quia hæc non cadunt nisi in subditos, & peregrini non sunt subditi: Unde in cap. *A nobis, De sententia excommunicat.* interrogatus Pontifex, an forenses comprehenderentur in excommunicatione lata ab Episcopo pro delictis futuris? Respondit, solos subditos comprehendi; quæ si diceret, forenses, utpote non subditos, non comprehendi; ut interpretatur Sal. disp. 14. sect. 4. num. 44.

Ad primam rationem in contrarium respondetur, non turbari pacem Reipublicæ, si advena non obligentur legibus, quarum violatio non cedit in damnum loci: Præsertim quia possunt juxta probabilem sententiam oppositam a Superioribus puniri, tanquam violatores legum, quibus obligantur. Ad secundam diximus, disparitatem esse manifestam; Nam ad leges, quæ in utroque loco obligant, tenentur ex consuetudine quasi jure Gentium introducta: Non est autem absolum, quod advena ad breve tempus eximatur legibus Patriæ simul, & legibus loci transitus, quando sunt diversæ; Nam adhuc ligatur innumeris legibus juris communis. Ad tertiam, verum est omnem legem respicere bonum commune, & violationem talis legis commune bonum impedire; hinc peregrini non tenentur servare leges, quarum violatio impedit bonum commune; sed illas tantum, quarum violatio trahit speciale damnum in Republica: Ad quartam, illud dictum vel est merum consilium, vel, si est præceptum, intelligitur de iis, qui alicubi sunt animo permanendi ad longum tempus; vel quando imminet scandalum, aut damnum Reipublicæ, si non serventur; puta si quis veller sine licentia alloqui cum scandalo Moniales, eo quod sit peregrinus; tenetur enim, ut diximus; ex jure naturæ peregrinus servare leges loci, quæ sine scandalo violari non possunt, aut sine gravi incommodo Reipublicæ: Ad quintam: Ab Episcopo puniuntur peregrini, vel quia Episcopi sequuntur opinionem contrariam; vel quia peregrini cum scandalo leges violant. Ad ultimam, nego doctos id existimare, cum sciant dari utrinque opinionem probabilem.

VII. Quæritur secundo, An peregrinus teneatur servare leges suæ Patriæ, unde discessit; seu An subditi te-

ne-



neantur servare suas leges extra territorium?

Respondeo, communiter Doctores contra Paludan., Sylvest., & alios apud Sal. disp. 14. sect. 5., & Dian. part. 1. tract. 10. resol. 14. docere, quod absens a suo domicilio, cum animo redeundi post breve tempus, non teneatur legibus domicili relicti. Ratio potissima est, quia in cap. *Ut animarum*, De Constitution. in 6. Bonifac. VIII. dicit: *Statuo Episcopi, quo in omnes, qui furium commiserunt, excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus extra ejus Diocesim existentes minime ligari noscuntur; cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune.* Quam rationem desumpsit Pontifex ex leg. *ultim. ff. de Jurisdictione omnium Judicum*; ergo extra territorium Legislatoris subditi non obligantur propriis legibus. Et ratio est, quia Legislator in lege ferenda respicit bonum publicum suæ ditionis, & ideo extra illam leges non obligant subditos suos.

Dices primo, citatum textum solum velle, quod non possint excommunicari, & puniri, dum dicit, quod *non pareatur impune*; non vero, quod non possit obligari legibus secundum vim directivam subditi extra territorium existens. Nam contra est, quia si posset obligari, transgrediens legem esset contumax Ecclesiæ, & excommunicationem incurreret; cum ergo non incurrat excommunicationem, non obligatur iis legibus.

Dices secundo; Qui extra territorium est, adhuc est subditus, & pars Communitatis; ergo potest obligari. Respondetur tamen cum Suar., esse subditum habitualiter, non actualiter, & in ordine ad leges territorii.

Hinc infertur, quod ubi consuetudo est comedendi ova, vel carnes, ibi possint peregrini eas comedere, quamvis in propria Patria tunc id non

*Pars I.*

liceat: Verbi gratia, qui transit per Castellam, potest die Sabbati comedere extremas partes, & viscera animalium, quamvis id non permittatur in loco proprii domicili; Et qui transit Mediolano, potest primis quatuor diebus Quadragesimæ post diem Cinerum vesci cibis paschalibus, prout ibi moris est. Immo qui Mediolano eunt ad locum, in quo non est receptum novum Kalendarium, eo tempore, quo non est inchoatum jejunium Quadragesimale, possunt vesci carnibus, & accommodare se loco, ubi sunt, juxta illud, *Cum fueris Roma, Romano vivito more*; quamvis non sint jejunaturi eo anno omnibus quadraginta diebus. Ita Sal., Bonac., & Lessl. contra nonnullos Recentiores apud eundem Sal.: Sicut juxta aliquorum sententiam Neapolitanus potest non jejunare in pervigilio D. Bartholomæi, si die vigesimo quarto Augusti sit Beneventi, ubi non jejunatur, eo quod ibi eo die festum dicti Apostoli celebretur; esto pridie non jejunavit, scilicet die vigesimo tertio Augusti, eo quod tunc non existeret Beneventi, ubi propter tale pervigilium jejunabatur.

Verum quidem est, quod peregrinus teneatur servare leges, quando sunt eadem in Patria, & in loco transitus; quia ita usu communi, & consuetudine obligatoria, veluti jure gentium introductum est; Sed in casu nostro non videtur esse eadem lex, quando uno die præcipitur Beneventi jejunium in obsequium S. Bartholomæi, & altero die idem præcipitur Neapoli: Et quamvis jure communi præcipiatur semel in anno jejunium in pervigilio Sanctorum Apostolorum; at præcipitur juxta morem loci, in quo quis reperitur, ut notat Lessl.; ergo ratione diversorum locorum, in quibus peregrinus reperitur die vigesimo tertio, & vigesimo quarto Augusti,

H pot.

poterit liber esse ab obligatione jejunii; esto opposita sententia videatur probabilior, & in praxi sequenda.

Ex ea tamen non sequitur, quod si quis discedat ex loco, ubi receptum est novum Kalendarium, nondum expleto tempore Paschali, & perveniat ad locum, ubi est receptum, expleto tempore Paschali, non teneatur eo anno communicare. Nam præceptum Communionis in Paschate obligat semel in anno, itaut qui ob aliquod impedimentum non communicavit tempore Paschali, teneatur deinde statim, ac potest, communicare; quod non habetur in præcepto jejunii.

VIII. Dubium hic est, An possit aliquis sine ulla necessitate iter arripere ad hunc tantum finem, ut vitet obligationem jejunandi, quæ est in proprio domicilio? Negant Ledesm., Sayr., Rebell. apud Dian. loc. cit.; quia ex Cap. *Sedes, de Rescriptis* fraus, & dolus nemini patrocinari debent; in casu autem nostro in fraudem legis hic discederet a proprio domicilio. Ideo Clem. X. in Constitutione, quæ incipit *Superna* prohibuit, ne Regulares absolverent peregrinos a peccatis, quæ reservationem habent in Diœcesi tantum peregrinorum, si in fraudem reservationis adeant aliam Diœcesim, ubi non habetur talium peccatorum reservatio; Et leg. 1. ff. *de aqua pluvia arcenda* prohibetur, ne quis divertat aquam ad agrum suum animo avertendi illam ab agro vicini, & nocendi illi; secus vero si id fecerit ob utilitatem propriam; in casu autem nostro videtur, quod fuga ista fiat animo nocendi Legislatori, & sic non est licita.

Sed communiter cum Suar., Sanch., Bonac. docent, licitum esse exire a loco, ubi viget, verbi gratia, præceptum jejunii, aut festi, eo tantum animo, ut effugiatur obligatio jejunandi, aut non laborandi, Ratio

est, quia in hac fuga homo utitur jure sibi concessio: Aliud enim est ponere impedimentum ad executionem præcepti obligantis; aliud vero fugere obligationem; Illud primum non licet; Verbi gratia, non licet projicere Breviarium, quando urget obligatio recitandi horas; & quando urget obligatio audiendi Missam, non licet mane ire, verbi gratia, venatum in loco a Missa distante, &c.; quia hoc est ponere impedimentum, atque adeo est transgredi præceptum; Nam quando præcipitur finis, præcipitur etiam positio mediolorum ad finem, & remotio impedimentorum: Contra vero qui fugit a loco, ubi præceptum obligat, non transgreditur præceptum ullum; sicut nec transgreditur, qui petit dispensationem; quandoquidem præceptum, verbi gratia, audiendi Missam obligat quidem ad non ponenda impedimenta ad audiendam Missam, sed non obligat, ne fugiatur obligatio præcepti, aut ne petatur dispensatio. Et ratio est, quia si adhuc posita fuga obligationis præceptum obligaret, certe obligaret simul, & non obligaret, obligaret ad non fugiendum, ut supponitur, & nullatenus obligaret, quia posita fuga obligationis nulla est obligatio. Hinc Sanch. & Pontius apud Lug. lib. p. de Responsis Moralibus dub. 36. docent, quod qui vult valide contrahere Matrimonium sine Parocho, & testibus, possit se conferre ad locum, ubi Tridentinum non est acceptatum; Quod si eo tantum animo id faciat, videtur non peccare, quia non potest dici fraudem committere, qui utitur jure sibi concessio, ex Reg. *Nullus videtur ff. de Reg. Juris*. Sed ex declaratione S. Congregat. apud eundem Lugo censendum hujusmodi Matrimonium invalidum, si cum fraude fiat.

IX. Hinc multi Doctores docent cum Suar., Basil., & aliis, quod habens

bens casus in propria Diœcesi reservatus, & nolens suo Parocho confiteri, possit peregrinari ea intentione ut possit ab aliis absolvi in Diœcesi, ubi casus ille non est reservatus; quamvis Clem. X. in laudata Constitutione prohibuerit Regularibus, (& eadem videtur esse ratio in hoc de Sæcularibus Confessariis) ne hos absolverent, si in fraudem reservationis id facerent, hoc est, ut explicat Platelius num. 909., si id faciant ad declinandum proprii Episcopi iudicium; Hac autem fraude circumscripta, si peregrinentur, ut opportunitatem habeant absolutionis, quam in propria Diœcesi habere non possunt, absolvi poterunt; Siquidem non dicitur fraudem committere, qui utitur jure sibi concessio; concedit autem jus commune, ut quilibet peregrinus possit absolvi a quolibet Confessario a peccatis omnibus non reservatis in Diœcesi, ubi confitetur, quamvis ea sint reservata, ubi pœnitens ea peccata commisit.

Demum ad id, quod additur contraria sententia, respondetur, quod fugiens a loco, ubi præceptum obligat, non intendit nocere Legislatori, aut ejus jurisdictionem minuere; quia ille extra territorium nullam habet jurisdictionem; sed intendit uti sua libertate, & ponere se, ubi præceptum non habet vim obligandi, idque ut sibi faveat, non ut alteri noceat; Unde non est cur peccet; Sicut peccat, qui avertit aquam ab agro vicini animo nocendi illi, & non subveniendi sibi.

X. Dubium est secundo, An si in tua tantum Civitate sit dies festivus, (ut Neapoli est dies Sancti Augustini) tenearis eo die audire Sacrum, antequam exeas a Civitate?

Respondeo, certum esse, quod si in tua Civitate unum tantum Sacrum fiat, & antequam exeas, illud celebre-

tur, tenearis illud audire, quia tenearis præcepto habens opportunitatem implendi illud; nec est ratio, unde excuseris; Quare difficultas solum est, quando adhuc supersunt plures Missæ celebrandæ usque ad meridiem; Cum enim possis licite ultimam audire, poterisne ante auditionem Missæ egredi non audita Missa? Negat Suar., & Basil. apud Pal; quia sicut teneris die festo audire primam missam, si prævideas impedimentum ad audiendas alias sequentes, ita in casu nostro teneris audire missam, antequam egrediaris a Civitate; quia præceptum affirmativum obligat ad implendum illud statim, ac fieri potest, si non poteris deinde alia via illud implere. Verum opposita sententia est satis probabilis, quam Sal., & Sanch. lib. 3. disp. 18. sustinent, quia qui egreditur e Civitate, exemptus est ab obligatione, & præceptum non obligat audire primam missam, cum possis audire ultimam; nec obligat non egredi e Civitate: Obligat quidem ad audiendam primam Missam, si usque ad ultimam perseveret obligatio audiendi Missam, & prævideas te impediendum esse tempore ultimæ Missæ, verbi gratia, ab infirmitate, aut alia de causa; Non tamen si prævideas tempore ultimæ Missæ te esse eximendum ab obligatione; verbi gratia, si prævideas dispensationem tibi concedendam; ergo neque si prævideas te esse eximendum ab obligatione per hoc, quod velis egredi e Civitate, ubi solum obligat præceptum. Quare bene notandum est discrimen inter impedimentum, quod excusat tantum a præcepto, ut est infirmitas, oblivio, &c., & impedimentum, quod liberat omnino a præcepto, ut est dispensatio, & fuga ab obligatione præcepti; Impedimentum primi generis non potest licite poni, quia perseverat obligatio, & si prævideatur, de-

bet praeveniri adimpletio praeccepti; secus vero impedimentum secundi generis.

XI. Dubium est tertio, an die jejunii discessurus e Patria, ubi tantum obligat praecceptum, possit mane sumere jentaculum?

Respondeo, certum esse, quod non possit carnes sumere, quia praecceptum negativum abstinendi a carnibus obligat pro singulis momentis, seu semper, & ad semper: Dubium solum est, an possit pluries comedere, antequam egrediatur e loco, ubi praecceptum obligat? Affirmant Sal., Sanch., Suar., Less., quia jejunium consistit essentialiter in unica comestione per totum diem; ergo si vespere hic non obligatur ad unicam comestionem, nec mane obligabitur semel comedere per totum diem; unde potest jentaculum ex cibis Quadragesimalibus pluries sumere. Neque obstat, quod nondum sit posita causa, unde deobligetur ab unica comestione, videlicet egressus e loco, ubi jejunium obligat. Nam satis est certitudo moralis, quod sit egressurus e Patria, & sit liberandus eo die ab obligatione praeccepti; sicuti qui die jejunii vult laborare, potest prius jentaculum pluries sumere, quia satis est certitudo moralis, quod sit laboraturus, & sic excusandus ab obligatione praeccepti. Haec tamen sententia videtur rejicienda cum Pal. hic, & Basil.; quia sicut nemo deobligatur mane a jejunio ob spem, & certitudinem moralem dispensationis vespere futurae; ita neque ob fugam a praeccepto futuram. Nec paritas de laborante urget, quia hic deobligatur a jejunio etiam mane ob necessitatem laborandi urgentem; sicut qui tota hebdomada laborat, deobligatur a jejunio die festo, non solum ob defatigationem praeteritam, sed etiam ob necessitatem ad laborandum die sequenti.

Neque dicas, quod juxta priorem sententiam etiam possit mane comedere, qui certus moraliter est de futura vespere dispensatione, propter eandem rationem; quia scilicet obligatio unicae comestionis respicit tractum successivum totius diei; unde si moraliter certum est, quod in aliqua parte talis diei possit pluries comedere, certum etiam erit, quod non teneatur per totum diem semel comedere. Nam contra est, quia sic non dispensatio, sed spes dispensationis deobligaret; quod non videtur admittendum: Quando enim hic pluries comedit, nondum est dispensatio, sed solum spes dispensationis, & vi talis spei a jejunio deobligaretur, non vi dispensationis futurae, licet eodem die.

Ex quo etiam sequitur, quod qui ex Oppido, in quo non jejunatur, discedit, perventurus vespere ad locum, in quo jejunatur, possit vespere pluries comedere, si, antequam eo pervenerit, comedisset carnes, aut si pluries comedisset; si tamen unicam comestionem sufficientem fecerit, tenebitur probabiliter vespere jejunare, juxta sententiam Joan. Sanch., & Pal. contra Less., & Th. Sanch. lib. 1. Sum. cap. 12. num. 3.

Neque dicas, quod sicuti juxta sententiam gravium Auctorum a nobis cum Palao rejectam, potest pluries comedere ante discessum, qui ex loco, ubi jejunatur, vadit ad locum, in quo non jejunatur, quia si tota die non obligatur ad unicam comestionem, nec obligabitur mane; ita qui post sufficientem unicam comestionem egreditur e loco, ubi non jejunatur, & pervenit ad locum jejunii, poterit etiam pluries comedere, propter eandem rationem; quia scilicet si tota die non obligatur ad unicam comestionem, nec obligabitur vespere. Sed disparitas est, quia in primo casu potest ille mane habere intentionem comedendi pluries vespere.

pere in loco, ubi non jejunatur, & sic ex illa intentione ponendi, quod licite potest vespere poni, & excusat a jejunio, mane etiam excusatur; unde non obligatus ad unicam comestionem poterit jentaculum sumere pluries. Contra vero in secundo casu ille non potest vespere habere intentionem comedendi pluries mane; Quamvis enim potuerit comedere, & sic vespere excusari a jejunio, at de facto noluit ponere plures comestiones excusantes a jejunio; Unde cum non detur de facto id, ratione cujus excusetur, debet vesperi jejunare.

XII. Dubium est quarto, Utrum Sacerdos Græcus peregrinus transiens per Ecclesiam Latinam possit consecrare in azymo juxta ritum Ecclesiæ Latinæ, an teneatur consecrare in fermentato juxta ritum suæ Ecclesiæ Græcæ? Et idem quæritur de Sacerdote Latino, an si transeat per Ecclesiam Græcam, possit in fermentato consecrare?

Respondeo, Ledesm. velle, quod Sacerdos Græcus transiens per Ecclesiam Latinam debeat in azymis consecrare; Communius tamen cum Sal., Suar., Bonac. docent, quod possit juxta morem suum consecrare in fermentato, & possit juxta morem loci, per quem transit, consecrare in azymo; dummodo in isto loco Latino- rum non reperitur templum concessum Græcis, ut ibi celebrent ritu Græco; Nam si Peregrinus Græcus in eo templo celebraret, deberet utique consecrare in fermentato, & e converso Latinus in azymis, si celebret in Græcia in templo concesso Latinis, ut ibi celebrent ritu latino; quia perinde se haberent, ac si in propria Ecclesia celebrarent.

An autem Latinus possit celebrare in fermentato, verbi gratia, Neapoli in templo concesso Græcis, ut cele-

brent ritu suo? Dubitant nonnulli. Docet Sal., quod in hac re usus consulendus sit, qui erit optimus legis interpret; Suar. tamen apud Sanch. lib. 3. disp. 18. n. 20. negat, quia est quasi Privilegium solis Græcis concessum, quod possint ibi in fermentato consecrare; Alii concedunt, si Ecclesia illa non sit subdita Ordinario totius Civitatis; quia locus exemptus in aliqua Diœcesi existens moraliter censetur quoad jurisdictionem esse extra Diœcesim; Unde si potest Latinus celebrare in fermentato, si sit in Græcia, ita si sit in templo hic concesso Græcis, quod tamen sit exemptum a jurisdictione Ordinarii loci.

XIII. Dubium est quinto, An si Peregrinus committat delictum extra locum sui domicilii, possit puniri a suo Superiore ratione talis delicti?

Respondeo, Basilium de Leone lib. 5. cap. 7., & Gabriel. putare, non posse Superiorem punire subditum existentem extra territorium, neque pro delicto commisso extra territorium, neque pro commisso intra territorium; quia in Cap. *Ut animarum*, de *Constitution.* in 6. habetur: *Extra territorium judicanti non paretur impune.* ergo sicut Superior non potest legibus suis obligare subditum extra territorium, ex defectu potestatis ad dicendum jus extra territorium, ita nullam potest illi imponere poenam; cum possit ille impune non parere. Sed communis sententia docet, id esse verum, quando & subditus, & res, quam subditus operatur, sit extra territorium; Contra vero, si res, quam operatur, seu delictum aliquo modo censeatur esse intra territorium; in tali enim casu subditus poterit puniri a suo Superiore, & incurret censuras, & poenas, quas alii subditi subeunt, si aliquo modo intra territorium delinquant. Quare si subditus extra territorium existens jactu sagittæ occidat

ho-

hominem intra territorium, incurret censuram latam ibi contra homicidas; Sicut si quis extra Ecclesiam existens iactu sagittae occidat hominem in Ecclesia, incurrit excommunicationem forte latam contra occidentes in Ecclesia; quia delictum est intra Ecclesiam commissum, quamvis extra Ecclesiam inchoatum; (quicquid sit, an huiusmodi excommunicationem incurrat, qui in Ecclesia existens occidat alium sagitta extra Ecclesiam; quod negat Merol., eo quod delictum consummatum sit extra Ecclesiam) Eodem modo si beneficiarius in aliena Diocesi existens non resideat in loco sui beneficii, incurrit censuram latam contra non residentes ab Episcopo loci, in quo est beneficium; quia delictum, seu omissio residentiae est intra territorium: Sic etiam si fur extra territorium existat, & commiserit furtum, quin satisfaciat intra mensem, nec se praesentet, incurrit excommunicationem latam adversus furantes, nisi intra mensem satisfecerit, vel se sistat Judici delicti, vel domicilii, in quo est lata excommunicatio; tunc enim si non se praesentet Judici delicti, nec satisfaciat, committit delictum in territorio per hoc, quod non se praesentet Judici territorii, seu domicilii, ut notant Azor., Sylvest., Sal. sect. 7.: quia Superior est Iudex etiam in ordine ad delicta commissa extra territorium, quamvis non possit extra illud jurisdictionem contentiosam exercere; Unde potest puniri subditus, qui extra territorium commisit delictum, si redeat ad territorium: Sicut ratione contractus alibi initi, & ratione rei alibi sitae, potest Iudex territorii, & Domicilii jus, & iustitiam alicui dicere, dum existit intra territorium, ex Cap. *Dilecti Filii*. Demum quando lex fertur ad praevendum speciale damnum grave territorii, subditus extra territorium delinquens in-

currit poenam in lege latam, quia aliquo modo delictum dicitur esse intra territorium, quatenus damnum infert territorio. Verbi gratia, si prohibeatur extractio mercium a Civitate, venditio armorum inimicis, aut venditio rei sitae intra territorium, nisi juxta formam praescriptam. Certum tamen est, quod nemo possit extra proprium territorium exercere jurisdictionem contentiosam, seu quae indigeat testibus, citatione, & alia solemnitate, ne perturbentur Tribunalia: At imponere legem, quae a subdito observari debeat sub poena in lege statuta, non est exercere jurisdictionem contentiosam extra territorium, sed voluntariam; quae scilicet ex sola voluntate Superioris exercetur sine strepitu ullo iudicii; Unde subditus ea lege tenetur, si aliquo modo delictum dicatur esse intra territorium.

Præterea potest Episcopus præceptum particulare imponere subdito existenti extra territorium, ob bonum privatum illius; Verbi gratia, potest alicui Clerico præcipere, & quidem sub censura, ne extra Diocesim Sacrum faciat; Sic Provincialis potest imponere sub poena excommunicationis subdito extra Provinciam existenti, ut semel in hebdomada jejundet; quia hoc non est dicere jus, seu ferre leges extra territorium. Addunt Suar., Bonac., & Pal. punct. 24. §. 5., communem esse sententiam, quod possit Episcopus ferre præceptum generale in subditos, etiam extra territorium existentes; verbi gratia, ne furerentur, sub poena excommunicationis. Ex quo etiam infert Pal. contra communem sententiam, quod possit pariter legem condere, quae etiam subditos extra territorium existentes comprehendat, si detur gravis causa id requirens; quia non videtur, quare possit consimile præceptum generale ferri, quod non expiret morte mandantis.

&amp;

& non etiam hujusmodi lex; cum in neutro casu exerceatur jurisdictio contentiosa, seu cum strepitu Judicii, quæ Tribunalia perturbet; Quæ tantum de causa extra territorium iudicenti non paretur impune.

XIV. Dubium est ultimo, An quod dictum est de subdito existente extra territorium, dici etiam debeat de subdito existente in locis exemptis intra territorium Superioris existentibus?

Respondeo cum Suar., Bonac., Azor., Pal., & aliis communiter apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 14. affirmative; ideo enim dicuntur loca exempta, quia eximuntur a jurisdictione Ordinarii, & proinde se habent, ac si essent extra Diocesim, cum non possit ibi Superior jurisdictionem contentiosam exercere, nisi in casibus in jure expressis, ut deciditur in Clement. Archiepiscopo, de Privilegiis. Hinc Bonac. putat, quod Mediolani non teneatur ad jejunia ritu Ambrosiano præscripta civibus, qui degit in monasteriis exemptis Religiosorum, qui juxta Romanum ritum viventes ea jejunia non consueverunt observare; Et Dian. part. 10. tract. 14. resol. 7. putat, quod sicut non incurrit reservationem, qui extra Diocesim committit casum in sola Diocesi reservatum; ita nec reservationem incurrat, qui idem peccatum committit in Monasteriis exemptis; Sed quamvis communiter concedatur contra Marfilium, quod loca exempta se habeant veluti diversa Dioceses, unde subditus ibi existens non teneatur legibus suæ Diocesis; ut, verbi gratia, Barii est Ecclesia Sancti Nicolai, & in Civitate Barolitana est locus subditus Archiepiscopo Nazareth; & in similibus Parochiis exemptis; ibi enim potest sine scrupulo laborari diebus festis de præcepto Episcopi; & possunt comedi carnes diebus jejunii ex præcepto ejusdem, ut notant Fagund., & Avil. apud Dian.

part. 1. tract. 10. resol. 14.; Nihilominus negant etiam communiter, hoc idem accidere in Monasteriis Religiosorum; quia Personæ religiose, non loca Religiosorum sunt exempta, ut notat Suar. de Cens. sect. 4. Pal., & Sal. disp. 14. sect. 6. num. 85.; Etenim Superiores regulares non habent relate ad locum sui monasterii jurisdictionem Episcopalem, (sicut habet Archiepiscopus Nazareth, verbi gratia, Baroli in suo loco exempto) cum non possint punire externos in suis Monasteriis delinquentes; Et ideo ne delicta in Monasteriis commissa a subditis Ordinario remaneant impunita, dicendum, quod subditus Ordinario, etiam si in Monasteriis exemptis existat, teneatur legibus suæ Diocesis, & incurrat reservationem, non secus ac si extra Monasterium peccaret; Sic enim consuetudo id interpretatur, ut notat idem Sal. Et ratio ulterior est, quia aliter frustarentur statuta, edicta, & reservationes, si tam facile quis posset ab eorum obligatione se eximere ingrediendo Monasteria exempta.

Næque dicas, non solum personas regulares esse exemptas ab Ordinario, sed etiam loca; cum in iis non possit Ordinarius erigere Tribunal. Nam licet hanc exemptionem habeant loca Religiosorum, at non est extendenda exemptio (cum sit Ordinariis odiosa) ad casus non expressos, seu ad hoc, ut subditi ibi existentes non possint legibus obligari, a suo Episcopo, propter rationem adductam; quia delicta ibi commissa remanerent impunita, eo quod Prælati Regularis non possit externos ibi delinquentes punire.

XV. Quæritur ultimo, an Vagi teneantur legibus loci, ubi degunt?

Respondeo, Less. lib. 4. cap. 2. disp. 7., Sayr., Laym., & Joan. Sanch. putare, quod non teneantur, eo prorsus modo, quo peregrini. Sed communiter docent teneri; quia cum nul-

lum.

lum peculiare domicilium habeant, fortiantur illud in loco, ubi hic, & nunc habitant; & sic tenentur legibus ejus loci: Aliter essent omnino liberi ab omnibus legibus Episcopalibus, & Municipalibus; quod licet non sit absurdum in peregrinis, quia brevi tempore durat eorum absentia a proprio domicilio, est tamen absurdum in vagis, quia diu vagari possunt; diffidet enim id a recta eorum gubernatione. Adde, quod non aliter possint vagi acquirere jura proprii domicili, nisi per hoc, quod subdantur legibus ejus loci; Ibi enim tenentur recipere Sacramenta necessaria, & Episcopus potest cum iis in votis dispensare, &c. Hinc infertur, Vagum puniri posse a Judice loci, in quo capitur, etiamsi delictum alibi commiserit; ut communiter docent cum Farinac. apud Pal. Utrum autem remittendus sit ad Judicem, in quo delictum commisit, si ab eo petatur? Probabile est, tunc solum debere remitti, quando illa loca sunt sub eodem Principe; quia censetur Princeps velle, ut ibi puniatur, ubi delictum commisit; secus vero si sint sub Principibus diversis; tunc enim capiens vagum habet jurisdictionem ex præfenti habitatione in eo loco.

## ARTICULUS IV.

An Clerici, & Religiosi teneantur servare leges civiles?

- I. Non ligantur Ecclesiastici legibus civilibus immunitatem lædentibus.
- II. Obligantur autem directe aliis legibus, quatenus a Sacris Canonibus approbantur.
- III. Non tamen obligantur quoad vim coactivam.
- IV. Consuetudo in contrarium, que habetur in nonnullis casibus, videtur per Bullam Cæne quotannis revocari.
- V. Possunt quidem Laici hic, & nunc

arma ab Ecclesiasticis tollere, ne damnum sequatur; sed ea tradenda statim sunt eorum Prælato.

VI. Religiosi legibus Synodalibus, quibus Clerici astringuntur, non tenentur.

**C**ertum est, Ecclesiasticos esse I. exemptos a potestate civili, tum quoad judicia causarum omnium sive civilium, sive criminalium, tum etiam quoad solvenda tributa, ex Trident. sess. 24. cap. 20.; Nec solum personæ Ecclesiasticæ, sed etiam earum bona sunt a temporalibus oneribus exempta, ex cap. *Noverit, de Sententia excommunicat.*: Quare legibus immunitatem hanc lædentibus, utpote injustis, nullatenus ligantur. Dubium solum est de aliis legibus rectæ gubernationi Civitatis convenientibus: Verbi gratia ne arma deferantur noctu, ne merces extrahantur, &c., ac de legibus imponentibus formam contractibus, & taxantibus pretia mercibus, an iis obligentur, tum quoad vim directivam, seu in conscientia, tum quoad vim coactivam, seu sub reatu pœnæ in lege statutæ transgressoribus?

II. Quaritur itaque primo, An Ecclesiastici teneantur in conscientia, seu quoad vim directivam servare leges civiles nullatenus lædentes Ecclesiasticam immunitatem?

Respondeo, communiter cum Vasq., Tolet., Suar., & aliis contra Navar., & Grassium apud Merol. disp. 4. cap. 3. dub. 45., & contra Lorcam, affirmative; tum quia decet Clericos aliis præbere exemplum; tum quia id expedit rectæ gubernationi Reipublicæ, cujus sunt partes; tum demum quia hujusmodi leges approbantur in cap. *Si in adiutorium, dist. 10.*; ubi habetur, servandas esse leges civiles in iis, quæ non sunt contra Canones, nec præjudicant Clericis.

Hac



Hac in re Laym., & alii apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 12. existimant, Ecclesiasticos directe non obligari a legibus civilibus, ( ut diximus de Legislatore, ) quia jura Canonica generaliter dicunt, Laicis super personas, vel res Ecclesiasticas nullam esse tributam potestatem; sed indirecte obligari, quatenus positis legibus civilibus, lex naturalis dicitur servandas esse illas a Clericis, quia pars non debet discordare a toto; præsertim quando id expedit rectæ gubernationi, & paci Reipublicæ. Suar. tamen, Merol., Rebuff. probabiliter putant, non obligari tantum indirecte, ut obligatur Legislator, tum quia contractus initi inter Clericos contra leges ponentes formam contractibus, non essent irriti, si Clerici non tenerentur iis legibus; tum etiam, quia sicut Legislator non peccat graviter, juxta communioem, transgrediendo suas leges in re gravi, ita nec Clerici peccarent graviter; quod licet admittat Bonac., negant tamen communiter Doctores, putantes eadem obligatione teneri laicos, & Clericos ad servandas hujusmodi leges; Nam graviter puniuntur a Superiore Ecclesiastico Clerici transgredientes hujusmodi leges in re gravi, quod est signum obligationis gravis. Quare juxta hanc sententiam Clerici obligantur directe legibus civilibus per hoc præcise, quod a Sacris Canonibus illæ approbentur, & veluti canonizentur ad hunc effectum, ut notant Decius, & alii Canonistæ ex cap. *Si in adiutorium*, dist. 10. Et ideo contractus initi a Clericis contra formam contractuum a legibus civilibus præscriptam sunt irriti; & Clerici si vendant merces ultra taxam a legibus civilibus constitutam, peccant contra justitiam, & ad restitutionem tenentur; Quamvis, ut diximus cum de Legislatore, forte etiam contra justitiam

Pars I.

peccarent vendendo ultra taxam lege civili constitutam, etiam si tali lege non obligarentur, eo quod posita tali taxa, tanti res æstimatur apud omnes; unde illud solum est pretium justum.

III. Quæritur secundo, An Ecclesiastici teneantur legibus civilibus, etiam quoad vim coactivam?

Respondeo cum communi contra Lorcam apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 12. negative: Certum enim est, jure canonico eos esse exemptos a pœnis per leges civiles statutis, ut constat ex cap. *Clerici*, & ex cap. *Qualiter, de Judiciis*, & aliis, quæ non solum probant de punitione, quæ causæ cognitionem requirit, sed etiam de punitione, quæ ipsi delicto est annexa.

Neque obstat primo, quod potestati præcipiendi conjuncta sit potestas puniendi; ergo si Principes laici possunt suis legibus civilibus præcipere Clericis, possunt etiam punire illos, si leges transgrediantur. Nam quamvis per se ita sit, potest tamen separari potestas præcipiendi a potestate puniendi per accidens, videlicet ex privilegio, quod de facto habent Clerici, & ex exemptione a Christo Domino, & a Summis Pontificibus concessa, quod non possint puniri, nisi a Superiore Ecclesiastico; qui licet possit, non tamen tenetur eandem imponere pœnam transgredientibus leges civiles, quæ per leges ipsas statuta est.

IV. Neque obstat secundo consuetudo satis usitata, quod puniantur Clerici a Laicis ob transgressionem istarum legum: Si enim noctu ferat arma Clericus, iis a laico spoliatur, nec restituitur: Similiter si Clericus venetur in nemoribus reservatis, aut si ejus animalia aliqua damna faciant, cogitur solvere pœnas, & nisi solvat, ex ejus bonis pignora capiuntur ipso

I re-

renuente; Et quando tenentur Clerici vel ex jure, vel ex permissione Pontificis contribuere ad reparationem viarum, pontium, &c., si non contribuant, apprehenduntur ejus bona, & fructus etiam beneficiorum.

Respondeo, nullatenus ea laicis licere absque speciali permissione Summi Pontificis: Putat Rebuff., hanc permissionem invaluisse ex consuetudine apud Gallos, & alios aliquos Principes, juxta privilegia sua a Sede Apostolica concessa. Vide Clericatum cap. 27. num. 30. pro Republica Veneta. Sed Navar. Vasq., Sal., Pal. relinquunt Summo Pontifici judicandum, an talis consuetudo, & permissio per Bullam Coenae quotannis abrogetur, & revocetur.

V. Possunt quidem aliquando tolli a Clericis arma, non in poenam, sed ne damnum aliquod hic, & nunc sequatur; tunc autem debent Superiori Ecclesiastico tradi; Possunt etiam laici pignora accipere a Clericis, qui tenentur ad reparationem viarum, &c. contribuere, non quidem in poenam, sed in contributionem debitam: Quamvis autem hæc exigi possint a nolentibus ea dare, puniri tamen nullatenus possunt.

VI. Quæritur tertio, an Religiosi, sicut tenentur servare prædictas leges civiles, non secus ac Clerici, ita te-

neantur etiam servare leges Synodales ab Episcopis latas Clericis, ut uniformiter cum iis se gerant?

Respondeo cum Granad., Suar., Sal. contra Vasq., Sanch., Rodriq., Malder. apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 11., & Merol. cap. 4. num. 306. negative, ex cap. 1. de Privilegiis in 6., & ex Trident. sess. 24. cap. 12., ubi eximuntur omnino a jurisdictione Episcoporum, & solum præcipitur, quod Episcopis obediant in festorum observatione, in interdicto, & cessatione a Divinis. Nec tenentur ex lege naturali uniformiter se gerere cum aliis Ecclesiasticis Religiosis, nisi quando aliter adesset scandalum. Ratio est, quia habent sufficientem excusationem; cum enim arctentur obligationibus status Religiosi, non debent alias obligationes subire. Immo, ut notat Suar., sicut novitii non tenentur subire leges Professis impositas, ratione uniformitatis, quia hujusmodi leges non ligant nisi eos qui in eodem statu, & professione sunt, a fortiori Religiosi ratione uniformitatis non debent cogi ad servandas leges Clericis impositas; tum quia istæ imponuntur iis, qui in ea professione, ac statu sunt; tum etiam, quia Religiosi habent leges suas arctiores; Possunt tamen aliquando per accidens teneri, ad vitandum scandalum.